

Q. D. B. V.

**SVBSCRIPTIONES
EPISTOLARVM
PAVLINARVM**

ex historia apostolica

Exercitatione Philologica,

IN CELEBERRIMA LIPSIENSIVM ACADEMIA

AMPLISS. FACVLTATIS PHILOSOPHICÆ

INDVLTV

die XI. Augusti M D C C I I I.

sub Examen uocare uoluerunt

P R Æ S E S

M. IO. CHRISTIANVS *Merkog*/

Olsnensis Silesius, SS, Theol. Stud.

&

R E S P O N D E N S

IOANNES CHRISTIANVS *Merkog*/

Dresdensis.

H. L. Q. C.

**L I P S I Æ,
CHRISTIANI GOEZI.**

Coll. diss. A
50, 56

e. L. 56.

SVEBICRIP TIONES

EPISTOLARVM

PAVLINARVM

ex historia apostolica

Exercitatione Philologica

IN CELSERRIMA UNIVERSITATE WITTEBERGENSI

AMPLISS. FACULTATIS PHILOSOPHICAE



M. IO. CHRISTIANVS SIBERVS

Oratoris Silesiae S. S. Theol. Stud.

RECTOR

IOANNES CHRISTIANVS SIBERVS

Præsentat

M. L. C.

LIPSIÆ

CHRISTIANI GOELZ

V I R O

*Multum Reuerendo, Nobilissimo
ac Amplissimo*

D O M I N O

M. IOANNI ERNESTO

Herbogen/

Ecclesiae Christi ad S. Ioannis Templum
Zittauiensium,

Pastori primario fidelissimo æque
ac dignissimo

Patruo suo & in Iesu Christo

Parenti submisse

colendo,

nec non

V I R O

Nobilissimo, Amplissimo ac Clarissimo

D O M I N O

M. DANIELI Müller/

Illustrissimi ad Salam Iudi Directori

fidelissimo, Humanitatis Portensium Collegii

Protectori dignissimo, Polyhistori fa-

migeratissimo

Parenti suo in Iesu Christo dilectissimo,

& Amico coniunctissimo

S. P. D.

R E S P O N D E N S

IOANNES CHRISTIANVS Herzog/

Dresdensis.

humanior. & sacrar. literar.

Cultor




tales
iustu
dicer
sum
nil
sarum
quen
ta q
dete
me a
bron
bliot
geni
unio
sed
uers



EX hominum ingenio studiorum sunt pretia. Antiquis Romuleæ gentis temporibus Poeta nihil abiectius: nostra ætate Criticis nil uanius. Non quod tales sint; sed quod tales habeantur ab illis, qui iustum omnium rerum pretium statuere nondum didicerunt. Et ego prima a pueritia his innutritus sum studiis, quæ si Iano Patulcio compararem, nil mali admitterem. Harum amoeniorum Musarum Vestalem quasi flammam Porta aluit. Nunc quem fomitem putauî, rogum uideo Ætnæum. Multa quidem fuere, quæ ab optimo hoc proposito me deterrere potuissent; plura tamen enata sunt, quæ me antiquum uisitare hospitium inuitauerunt. Librorum præcipue, quibus celebres Philologorum bibliothecæ superbire solent, inopiam Deus quadam ingenii bonitate pro gratia sua compensauit. Adeoque uniones, siquos possideo, non aliunde afferri curauî; sed littus legenti Deus mihi commonstrauit. Diuersa ducens brachia opem poposci, & ex uoto
omni-

omnia successerunt. *Stricturas laboris hoc in sche-
diasmate conspiciendas V O B I S* prodimus, qui non-
dum in solem prodire decreueramus. Modestia ta-
men uincula rumpere coegit nos consanguinitatis uin-
culo nobis coniunctus Praeses. Selegimus materiam,
in qua & exerceremus nos, & qua ad ulteriora excita-
remur. Sacrum hunc laborem V O B I S sacrum esse
uoluimus. T I B I quidem, V I R multum Reuerende,
Domine Ioann Erneste Herzog/ ut studiorum nostro-
rum rationem redderemus: T I B I uero, Vir Am-
plissime, Dn. Daniel Müller/ ut de flagranti nostro
amore erga Te, quo pulcre ardemus, publicum, licet
chartaceum, exstaret monumentum. Si qua sunt, qua
V E S T R O calculo indigna putatis, cogitabitis, quod
nostris pro opibus moenia exstruamus: si inuenitis,
qua Vobis arrident, anchora iactum prauertit Deus.
Valete, & eum, qui V E S T R V M amorem nunquam sile-
bit, donec perpetuum silebit, fauore V E S T R O ul-
terius pergite deuincire. Scribebam Lipsia d. 7.

ante Id. Augusti anno tertio seculi de-
cimi octauo O. R.



randu
res pu
rus lit
cturus
cedit
Deo,
bris
In qu
cum
ter &
ille c
ret,
de qu
bus,
ab al
lyma
recta
perfe
respi
quen
natu
dit.

fert.
mafo

Foua! Fuua!

§. I.



Erui discedunt, quando Domino dimittuntur; peccata resistendi sibi sumunt libertatem, quando ab ipsis liberi esse cupimus. Diuersum quid in Tarsensi (*Act. XXII. v. 3.*) Apostolo nobis conspiciendum æque ac admirandum sacer depingit Historicus. Ingenti animi furore fores pulsat summi Pontificis (*Act. IX. v. 1.*) Damascum petiturus literas petit. (*v. 2.*) Nunc uia se committit in uiam rediturus, qui tota tamen uia errabat. Urbem propinquus accedit; (*v. 3.*) sed quo propinquius, eò remotius recedit à Deo, qui tamen gratia sua illi obius fit. Cuius mens tenebris offusa erat clarissimo lucis fulgore circumfundebatur. In quo frænos laxantes animi motus iam loqui incipiebant, cum illo colloquium (*v. 4. 5.*) instituit Filius, per quem Pater & Spiritus loquitur. Paulus deturbatur in terram, quia ille cum ipso de cœlo loquitur, qui, si ipsum persequi pergeret, persecuturus ipsum fuisset. Tremens quærit (*v. 6.*) & de quo quærit, responsum accipit audientibus etiam comitibus, & quod responsum accipit illi obsequitur. Coecus (*v. 8.*) ab aliis Damascum deducitur, qui ad alios Damasco Hierosolymam captivos deducendos uenerat. Hospitatur in platea recta. Omen in nomine (*v. 11.*) Quam subita mutatio! Quem persecuturus erat, hunc invocat, & qui ira dignus erat, à Deo respicitur. Ananias Paulum (*v. 17. 18. 19. 20. 21. 22.*) uisit & quem uisu carentem uidet alloquio & oculis & mente illuminatum baptizat, & Christum ueri Dei Filium prædicare audit.

§. II. Paulus Damasco discedens in Arabiam se confert, & exinde Damascum redit. Exacto triennio non Damasci, ut textus prima fronte persuadere uidetur, sed & in

Arabia ob prauorum tacitis dolis illum oppugnantem (*Act. IX. v. 23. 24.*) factionem dolo euadens (*2. Cor. XI. v. 32.*) Damasco secedit Solyma. (*Act. IX. v. 26.*) Ibi inuenit Petrum (*Gal. I. v. 18.*) nondum in uincula coniectum & Jacobum Fratrem Domini (*Gal. l. c.*) Alphæi & Mariæ Cleopæ Filium Præsidentem tunc temporis Ecclesiæ Hierosolymitanæ in locum Iacobi Ioannis Fratris (*Act. XII. v. 2.*) suffectum. Ibi permanet dies quindecim, (*Gal. I. 18.*) prædicans, (*Act. XIX. v. 29.*) abit, inde iussu Dei (*Act. XXII. v. 18.*) ob insidias (*Act. IX. v. 29.*) Cæsaream caput Galilææ in littore Maris Mediterranei, adeoque alias Cæsarea Palestinæ vocatam. (*Act. IX. v. 30.*) Inde Tarsum, Ciliciæ urbem. (*Act. IX. v. 30. Gal. I. v. 21.*) Hinc cum Barnaba Antiochiam Syriæ urbem, (*Act. XI. v. 25. Gal. I. v. 21.*) ab Antiochia mittitur comitante Barnaba Hierosolymam. (*Act. XI. v. 29.*) Hinc sibi adiungens Ioannem cum cognomine Marci (*Act. XII. 25.*) redit cum Barnaba Antiochiam. Hic Barnabas & Saulus dictitante Spiritu Sancto (*Act. XIII. v. 2.*) ad opus sacrum segregati & ordinati (*v. 3.*) ueniunt Seleuciam, quæ ad auertendam confusionis turpitudinem Pieria cognominatur a Geographis (*Act. XIII. v. 4.*) Hinc naue uecti adpelluntur ad Cypri Insulam Mari Syriaco & Parthenio circumfluam. (*Act. XIII. v. 4.*) Salamine, quæ orientem uersus uidet, docentes, transeuntes Insulam Paphi increpat Elymam & conuertit Sergium Paulum (*Act. XIII. v. 6. -- 12.*) Pergæ, quæ Pamphylia urbs est, ipsos relinquit Ioannes Marcus (*v. 13.*) Hinc permeantes Pamphiliam Antiochiæ, quæ Pisidia urbs est, Paulus prolixa oratione (*Act. XIII. v. 15--41.*) multos in Iudæis (*v. 43.*) ut & postea ex Gentilibus (*v. 48.*) Deo adducit: qui tamen à Iudæis praua mentis uertigine laborantibus cum Barnaba urbe eiectus Iconium transit (*v. 51.*)

§. III. Hic non desistunt uerbum Domini longe lateque spargere uariisque signis & miraculis ueritatem diuinæ doctrinæ confirmare. Quum uero & hic essent, quibus con-

cio

cio A
 rat, (Hic
 eieci
 Hinc
 v. 21
 cum
 (qu
 phil
 v. 24
 (v.
 dæa
 hac
 Sam
 for
 tioc
 trur
 cusa
 con
 mit
 Der
 scil.

 adie
 pre
 Pau
 Dili
 iter
 illu
 scil.
 que
 lum
 ni, c
 Hic

cio Apostolorum bilem hosque ad lapidandum eos commouerat, (*Act. XIV. 5.*) Lystræ Evangelii candelam accendit. (*v. 7. 8.*) Hic à turba coma sanctum caput reflectente urbe semianimis eiectus comite Barnaba, Derbæ multos conuertit. (*v. 21.*) Hinc repetit Lystram, Iconium & Antiochiam (*Act. XIV. v. 21.*) confirmans ipsos in salutari doctrina & Episcopos ipsis cum Barnaba constituens. (*v. 23.*) Pisidiam postea transiens (quo itinere forte & Laodicenses uisitauit) Pergæ quæ Pamphiliæ urbs est, Domini Evangelium annunciat, (*Act. XIV. v. 24. 25.*) hinc Attaliam, (*v. 25.*) hinc Antiochiam Syriæ (*v. 26.*) cum Barnaba adit. Accedunt & urbem hanc ex Iudæa nonnulli circumcisionem maxima ui urgentes. Mittitur hac de re Hierosolymam, (*Act. XV. 2.*) quam Phœniciam & Samariam transiens cum Barnaba & aliis adit. (*Act. XV. 4.*) Informatus de quæstione acceptisque ea de re litteris redit Antiochiam Syriæ scil. cum comitibus, (*Act. XV. v. 30.*) ubi Petrum reprehendit & Hypocriseos, cuius & reuera reus erat, accusat, (*Gal. II. v. 11.*) & cum Barnaba ob Ioannem Marcum contentione colliditur. (*v. 37. 38. 39.*) Hinc cum Sila nouo comite Syriam & Ciliciam transgreditur. (*c. XV. v. 41.*) Hinc Derben & Lystram, (*Act. XVI. v. 1.*) uisitatur tunc urbes in quibus scil. antea Euangelium prædicarat.

§. IV. Non dubium est, quin etiam Creta hoc tempore adiecta sit cum aliis, quas sacer Historicus (*Act. XVI. v. 5.*) expresse nominare non uult, ibique Titus, qui comes fuerat Pauli in itinere Hierosolymam à Paulo Ecclesiæ præfectus sit. Diligentissimus ardui Annalium operis Collector Romanus iter Pauli Cretam demum reiicit in illud tempus, quo Lucas illum in Macedoniam abiisse dicit. (*Act. XX. 1.*) Per Ægeum scil. mare Cycladas ad nauigans ipse peruenisset Cretam, illicque ad eam curandam Ecclesiam reliquisset Titum discipulum amantissimum. Iniungerem mihi, ut tibi, Cæsar Baroni, crederem. Tuam Spiritus Sancti, quæ suspicienda est, Fi-

des suspectam reddit. Age. Eas mecum si tibi placet, ut uideas, quo abierit Paulus Ephesum relinquens. Sed sustine gradum, turbarem ordinem historiae si hic tibi perspicienda praebam, quae infra melius uidenda sunt.

§. V. Sed nunc ad Paulum, qui Phrygiam & Galatiam cum Sila transiens (*Act. XVI. 6.*) Mysiamque deueniens (*v. 7.*) prohibitus ab itinere in Bithyniam (*v. 7.*) permeans Mysiam Troada uenit. (*v. 8.*) Hinc monitu nocturnae uisionis Luca comite quem hic sibi adiungit, quod patet ex mutatione personae (*Act. XVI. v. 10.*) Samum seu Samothraciam & hinc Nicopolin seu Neapolin uenit (*Act. XVI. v. 11.*) Ex Thracia in Macedoniam transit Philipposque ingreditur. (*Act. XVI. v. 12.*) Hinc Amphipolin Edoniae in Macedonia urbem & Apolloniam (*Act. XVII. v. 1.*) & Thessalonicam Amphaxidis in eadem regione oppida (*v. 2.*) salutanda abit. Ob tumultum exortum mittitur cum Sila Beroeam. (*Act. XVII. v. 10.*) Hic manent Silas & Timotheus. Paulum Athenas comitantur Beroenses (*v. 15.*) quibus Paulus mandat, ut quam celerrime ad ipsum ueniant. Quos etiam Paulus Athenis excipit. (*Act. XVII. v. 16.*) Quod enim uerbum ἐκδέχεσθαι non expectare, uti quidem celeberrimus Pastor cum Scapula aliisque uult, sed excipere significet, patet ex *Io. V. v. 3. 1. Cor. XI. v. 33. 1. Cor. XVI. v. 11. Hebr. X, v. 13. Hebr. XI, v. 10. Jac. V. v. 7.*

§. VI. Causa cur tanto desiderii ardore illorum Aduentum anhelabat, haec erat: mittendi erant Thessalonicam. Huius Legationis sacer Historicus nullam plane iniicit mentionem. Ipse Paulus tamen, manu quasi nos ducit Athenas ubi solum se mansisse dicit (*1. Thes. III. v. 1.*) & misisse Timotheum quod ex uers. 2. dictae Epist. elucescit. Reditus uero Timothei & Silae (*Act. XVIII. v. 5.*) describitur. Jam uero cum redirent & de fide & amore Thessalonicensium multa narraret Timotheus (*1. Thes. III. v. 6.*) non inuenerunt Paulum Athenis, sed Corinthi (*Act. XVIII. v. 1. & 5.*

§. VII.

Apost
undiq
scrip
etas su
quos m
de pro
dignis
da sit
hinc c
tectos
nuinis
bus.
Thessa
remur
saloni
Paulus
ro no
Hinc
strante
do in
(*Act.*
cum p
reditu
rat.
lam n
pugna
gnabi
nem v
v. 5.)
fes a T
apud
nostra

§. VII. Doctrinam, quam uiua uoce magnus gentium
 Apostolus haecenus propagarat, nunc epistolis etiam ulterius
 undiquaque spargit. A capite praesuppositas uides uarias in-
 scriptiones: de quibus hic non disquirimus: sub calce adie-
 ctas subscriptiones, locum ubi scriptae, nuncios interdum per
 quos missae, indicantes. Neutrae ab ipso Apostolo, ut exin-
 de pro inspiratis haberi debeant: neutrae a Viris tanta fide
 dignis sequentibus seculis additae, ut ipsis in omnibus addicen-
 da sit fides. Quarum originem cum iam ab aliis hinc atque
 hinc ostensam nouimus, errores etiam & contradictiones de-
 tectos certo certius scimus, bene consules, ea quae de ge-
 nuinis epistolarum subscriptionibus disseremus in sequenti-
 bus. Prima uero quam Paulus scripsit epistolam est prior ad
 Thessalonicenses, Athenis, si uulgarem subscriptionem seque-
 remur, scripta. Sed non uidemus, quomodo prima ad Thes-
 salonicenses Epistola scribi potuerit Athenis, cum praecipue
 Paulus (c. III. v. 6.) loquatur de reditu Timothei, quem ue-
 ro non Athenis, sed Corinthi excepit, uti iam dictum est.
 Hinc humani quid accidisse uidetur Celeberrimo inter Remon-
 strantes Theologo ac Philologo Stephano Curcellæo, quan-
 do in editione, quae Amstelodami prodiit, novi foederis
 (Act. XVIII. v. 5.) per appositum (Act. XVII. v. 14. & 15.) lo-
 cum parallelum innuere uidetur, quod in capite XVIII. v. 5.
 reditus narretur ad quem in priori capite Paulus ipsos inuita-
 rat. Sequetur enim exinde, quod Paulus Timotheum & Si-
 lam non Athenis, sed Corintho Thessalonicam miserit, quod
 pugnat contra citatum ex Epistola 1. ad Thess. locum. Pu-
 gnabit etiam hoc contra Virum doctum, quod si subscrip-
 tionem uulgarem admittat & tamen Paulum & Silam (Act. XVIII.
 v. 5.) demum Beroea rediisse statuatur, Paulum Thessalonicen-
 ses a Timotheo & Sila salutasse (1. Thess. I. v. 1.) qui tamen non
 apud ipsum sed Thessalonicensibus propinquiores erant. Pro
 nostra sententia etiam hoc facere posset, quod (1. Thess. III.
 v. 4.)

1. ad Thes.
 salon.

. VII.

v. 4.) de noua quadam aliqua persecutione, quam perpeffus
effet, aliquid dicat non dubium, quin respiciat insultus auda-
ciffimos Epicureæ & Stoicæ Philofophiæ adhærentium, cau-
famque in Areopagitico Senatu dictam. De his quæ ipsum
triuiffent fata, quod iam cognita ipsis fint dicit: a quo igi-
tur Theffalonicenfes refciverunt? Non errabimus, fi a Ti-
motheo & Sila dicemus. Hos excipiebat cum hoftes ipsum
adoriri inciperent.

§. VIII. Nec obftat quod (1. Theff. III. v. 2. & 6.) dicatur
folum Timotheum miffum effe & rediiffe, nos vero ex cita-
to loco hiftoriæ Apoftolicæ Timotheum & Silam miffos pro-
nunciemus. Medelam afferre poffemus fi cum Capello hæc
acta ita conciliarem, quod nempe cum ad Paulum Beroea
ueniffent Silas & Timotheus, Paulus qui magno Theffaloni-
cenfium defiderio tenebatur, ideoque femel atque iterum in a-
nimo habuerat eo proficifci, nec potuerat tamen id exequi
a Satana præpeditus, Timotheum rurfus miffiffet Theffaloni-
cam, qui Theffalonicenfes in fide confirmaret & consolaretur.
Cumque inde ad Paulum rediiffet priusquam ipfe A-
thenis excederet & Corinthum peteret rurfus in Macedoni-
am Silam & Timotheum miffiffet eorumque reditum ad fe
Corinthi præftolatus fuiffet. Sed Capellus cum ipsum fe cor-
rigat, qua ratione hanc conciliationem accipere poffumus?
Durum enim, paulo post dicit, geminam Timothei a Paulo
Athenis ad Theffalonicenfes ftatuere miffionem. Sed non-
dum desperata eft res. Lucas fupplet ut hiftorica quæ Paulus
de Timotheo tantum refert, quippe cui Theffalonicenfes in-
formaturo Silas tanquam comes adiunctus erat. Non enim
ex folis Actis nec ex folis epiftolis Paulinis concinnanda eft
hiftoria Apoftolica, fed conferendæ funt epiftolæ & Acta &
hæc ex illis, illæ ex his enucleandæ. Sic Paulus cum Tito
mittebat duos fratres (2. Cor. VIII. v. 18. 22. cum tamen (cap,
XII. v. 18.) de unico tantum fratre loquatur. Hæc de prio-
ri

ri
du
ce
ph
tata
Gal
Inu
rin
San
rog
ritu
fter
mir
usd
leba
Phi
eun
hibe
lus,
ad C
Pho
fcrip
Hun
mni
redo
zét
rem
tisfir
Paul
expr

ri Epistola. Altera quā paulo post exarata sit nullum est *2. ad Thessa-
lon.*
dubium.

§. IX. Corintho igitur ubi utramque ad Thessaloni-
censes epistolam scriptam statuimus, Paulus abiens E-
phesum uenit. (*Act. XVIII. v. 19.*) Hinc Cæsaream, & salu-
tata Ecclesia [Hierosolymitana nempe] Antiochia descendit,
Galatiā & Phrygiam transiens redit Ephesum (*Act. XIX. v. 1.*)
Inueniens hic nonnullos discipulos, an Spiritum S. accepe-
rint? interrogans, respondentibus se non audiuisse: Spiritus
Sanctus est; (scil. *πνεῦμα δεδομένον ἡμῖν* siue *ἐφ' ἡμᾶς*) inter-
rogatisque a Paulo de baptismo, manuum impositione Spi-
ritum Sanctum dat, ut uariis instructi linguarum donis my-
steria diuina explicarent. Ephesi ipse Paulus Verbum Do-
mini annunciat in Synagoga prius, post in domo cui-
usdam Præfecti urbi, & quidem in eo loco, ubi otuari so-
lebat. (*Act. XIX. v. 8. 9.*) Loca enim, quæ Glassius in
Philolog. Sacr. L. IV. Tract. III. pag. 949. profert nondum
euincunt, quod Tyrannus iste pro nomine proprio ad-
hibeatur. Hoc tempore quum nempe Ephesi hæreret Pau-
lus, scripsit Epistolam ad Romanos, ad Galatas & priorem
ad Corinthios

§. X. Ad Romanos Epistolam Corinthi scriptam, & per *ad Roman.*
Phœben missam esse, uult subscriptio uulgaris. Cur Ephesi
scriptam dicamus, allicit nos in ipsa Epistola *cap. XV. v. 23.*
Hunc si conferimus cum *Act. cap. XIX. v. 21.* uidetur o-
mnino quod ea quæ sacer Historicus per *ἐπληρώθη ταῦτα*
reddit, Tarsensis Apostolus inuauat his uerbis; *ἔτι δὲ μη-*
κέτι τόπον ἔχων ἐν τοῖς κλήμασι τούτοις, & ingentem amo-
rem, quo erga Romanos ferebatur Paulus, quem extan-
tissimo *ἄπιστοβίας* uocabulo exprimit, Lucas indicat, dum
Pauli firmum propositum per imperatoriam quasi uocem
exprimit. Nec iuuabit eos, qui hanc Epistolam Corin-

B

tho

tho missam asserunt, quod tunc demum dicere potuerit Paulus: se nullum nunc habere locum, in quo non fundamenta iecerit religionis Christianæ, posteaquam Achaia & Macedonia peragrata fuissent. Achaïam enim & Macedoniam tantum hoc itinere transibat confirmans discipulos. Adeoque Paulus eadem ratione & nobis fauet, qua ratione ipsis quod faueat contendunt. Paulus quod ad *Rom. XV. v. 25.* dicat: *νυνὶ πορεύομαι*, non probat, quod iam iter aggressus fuerit. Vti enim significatio uocis sumenda est non ex aliqua singulorum uerborum potestate, aut phraseos alicuius, aut enunciationis alicuius; sed ex tota orationis compage; sic etiam temporum usurpatio in sacro codice quum accuratissime a sacris Scriptoribus sit obseruata, ab industrio lectore etiam probe examinanda est. Præsens hoc loco pro futuro positum indicat non modo rem futuram, sed etiam ita futuram, ut quasi præsens sit. Qui Græcæ linguæ idiotismus non solum in sacris (ut *1. Cor. XVI. v. 5. Hebr. IV. v. 3. Hebr. XI. v. 21.*) sed etiam apud profanos auctores usitatissimus est. Sic Hesiodus operum & dierum v. 200. *Νῦν δ' αἶνον βασιλεὺς ἐρέω Φρονέεσσι καὶ ἀνθρώποις.* Iam uero Lucas dicit: quod Paulus sibi proposuerit peragrata Macedonia & Achaia Hierosolyma uisere. Hoc iter igitur indicat Romanis hoc in loco, licet illud nondum in se suscepisset. Per uocem *νυνὶ* non strictè intelligitur momentum illud temporis, quo Paulus hoc scribebat, sed opponitur tempori illi, quo in Hispaniam abeundi Paulo stabat sententia. Cogitare enim potuissent, quod breui ipsum essent uisuri. (*juxta v. 24. cap. cit.*) Huic igitur errori obuius it, dicens: Nunc uero Hierosolymam abeo. Hoc est, priusquam ad Vos ueniam, Hierosolymam uisito. In verbo *ποιήσαομαι* & *ἐυδόκησαν* fortasse & nos aliquid inueniemus, quod sententia

tia
σαδ
alia
Ac
ros
risti
cor
mo
con
si d
A G
non
XX.
Mac
to d
bus
salor
tia f
nen
mot
Ade
deno
tion
v. 11.
bus.
τὸ δε
ήγαγ
Pluta
patro
ὡς κ
strati
θένε

tia

tia nostræ defendendæ inseruiet. Cur dicit *εὐδόκησαν ποιή-*
σαθαι & non *πεποιήκασιν* aut *ἐποίησαν*? ut putamus nullam
 aliam ob causam, de uoluntate tantum Macedonum &
 Achæorum dicit: quia futurum erat ipsos aliquid collatu-
 ros esse, Paulus uero nondum istud acceperat. Nam aor-
 istum primum *ποιήσαθαι* hoc loco pro futuro more Græ-
 corum positum censemus. Facilius etiam Romani a Ti-
 motheo & Sosipatro (*Rom. XVI. v. 21.*) cum Paulo Ephesi
 conuersantibus (*Act. XX. v. 4.*) salutari potuerunt, quam
 si diceremus Corinthi esse scriptam, ubi solus Paulus erat.
 A Gaio Romanos salutatos esse legimus. (*v. 23.*) Occurrit
 nomen Gaii (*Act. XIX. v. 29.*), ubi Macedo dicitur, (*Act.*
XX. v. 4.) qui idem est Gaius, Thessalonica, quæ urbs
 Macedoniæ est, oriundus. Non enim hic genuinam pu-
 to distinctionum positionem, quæ in hodiernis editioni-
 bus locum obtinet, per quam efficitur, quod inter Thes-
 salonicenses fuerit & tamen Derbæus, quæ sine repugnan-
 tia stare non possunt. Hinc putarem, post *Γαίῳ* po-
 nendam esse distinctionem, ut *Δερβαῖ* referatur ad Ti-
 motheum, quem Derbensem legimus. [*Act. XIX. v. 1.*]
 Adeoque Coniunctionem *καὶ* non copulandi, sed superad-
 dendi uim hic obtinere contenderemus. Qua significa-
 tione eam usurpatam inuenimus [*Act. XI. v. 28. c. XXVI.*
v. 11. 12.] Quam obseruamus etiam in profanis autori-
 bus. Sic Herodianus de Alexandro dicit: [*Lib. VI. c. VI. § 7.*]
τὸ δὲ σὺν αὐτῷ πλῆθος ὁ Ἀλέξανδρος εἰς τὴν Αὐλιόχειαν ἐπαν-
ήγαγε, πολλῶν καὶ ἐξ ἐκείνης τῆς μοίρας δότωλῶτων. it. apud
 Plutarchum in uita Isocratis, ubi de Theodoro Erchiensi
 patre Isocratis loquitur, quem tam diuitem fuisse narrat:
ὡς καὶ χορηγήσαι καὶ παιδεύσαι τὰς υἱάς. it. apud Philostr-
 atratum in uita Isocratis: *ταῦτι δὲ ἠτοίμασε πρὸς καὶ τὴν Δημο-*
δένους γλῶτταν. Latini per ETIAM, Alius ab isto Gaio est

ille, cuius mentio fit *1. Cor. I. v. 14.* Quod per Phœben
missa sit hæc Epistola non statim probat Corinthi esse scri-
ptam. Potuit illam Epistolam Paulus mittere ad Phœben,
quæ postea Romam transferret.

ad Galat.

§. XI. Altera Epistola, quam Ephesi scriptam dixi-
mus, est Epistola ad Galatas. Romæ quod consignata sit
subscriptio persuadere uidetur. Scire rem est per causas
nosse! Quod Romæ non sit scripta probat ferme totus
Epistolæ nexus. Desciuerant Galatæ a recto tramite. Se-
ducti erant a quibusdam, qui ueteris fœderis ritibus
strenue adhuc addicti erant. Hos reducere cupit. Undi-
que fortissima conquirat argumenta. In fine Epistolæ ma-
ximum robur. Vulnera conspicienda demonstrat. Osten-
dit quasi tacite: hæc ipsa inflicta esse ipsi ob doctrinam,
quam Galatæ reliquissent, & ad quam ipsos reducere uel-
let. Ad doctrinam, ob quam si uera non esset, tanta
pati detrectauisset. Alias Epistolas, quæ Romæ scriptæ
sunt, euoluas. Nunquam non uinculorum suorum men-
tionem facit. [*Philipp. I. v. 7. 13. 14. Coloss. IV. 3. 18. Ephes. III. v. 1. Cap. VI. v. 20.*] Non igitur uidemus, quomodo
Paulus captiuitatem suam præterire potuisset, dum omnia
adhibet media, ut Euangelii uestigiis iterum insistere inci-
pant Galatæ. Conuenientissimam etiam uinculorum suorum
mentionem iniiciendi habuisset occasionem. [*c. II. v. 2. c. IV. v. 20.*] *Cap. I. v. 6.* accusat ipsorum defectionem. *ὄρω ταχέως*
inquit. Antiochia scilicet redux per Galatiam & Phrygiam
transibat confirmans discipulos, sed Ephesi audiebat Ga-
latarum defectionem. Hinc dicit: *ὄρω ταχέως.* Epistolæ
quæ Romæ a captiuo Paulo scriptæ sunt salutem adferunt
a Timotheo in fronte Epistolæ; sed hic ab omnibus fra-
tribus salutantur Galatæ. Et quidem uidetur hæc Episto-
la E-

la
cu
op
ni
XV

qu
Sec
luc
no
fed
tur
fen
Rat
XV
sub
rat
tic
Tim
Epi
lus.
& E
dest
lus
ut
ipso
Tim
XV
fet
fuis
pisto

la E-

la Ephesi scripta, cum Paulus meditaretur collectam pecuniam ob leuandam Judæorum Hierosolymitanorum inopiam. Patescere id putamus ex *Cap. VI. v. 10.* Hanc admonitionem Galatis factam etiam Paulus tangit *1. Corinth. XVI. vers. 1.*

§. XII. Prior ad Corinthios Epistola Philippis *1. ad Corinth.* quod scripta sit ex subscriptione quidam arguere uolunt. Sed huic sententiæ obstabit *capitis XVI. v. 5.* qui maiorem lucem accipit ex *2. Corinth. I. vers. 16.* Macedoniam non tunc temporis transibat, licet præfens adsit in textu, sed per iam citatum idiotismum præfens ponitur pro futuro, ita futuro, ut propter certitudinem quasi iam præfens sit. Expresse etiam dicit se permanurum esse Ephesi. Rationem subiungit. Quæ omnia conueniunt cum *Act. XIX. v. 19.* Forte & iam aliquid de magno isto tumultu subolebat. Facilius etiam Corinthios salutare inde poterat ab Aquila & Priscilla iuxta *vers. 19.* & ex Ecclesiis Asiaticis inter quas uersabatur Ephesi commorans. Quod per Timotheum transmissa fuerit subscriptio innuit. Ex ipsa Epistola apparet contrarium. Quum Ephesi enim esset Paulus, ante tumultum in Macedoniam mittebat Timotheum & Erastum, ut ibi colligerent ea, quæ ad sumtus sacros destinarant Macedones. [*iuxta Act. 19. v. 22.*] Interim Paulus de statu Corinthiorum forte audit. Hinc Timotheus ut Corinthios inuisit, iubebatur; [*1. Corinth. IV. v. 17.*] ad ipsos uero Corinthios scribit hanc Epistolam. Non per Timotheum uero mittit. Qui enim dicere potuisset [*cap. XVI. v. 10.*] *εάν τε έλθη?* Si enim per Timotheum uassa esset Epistola, cum Epistola uenisset Timotheus, & non opus fuisset, ut scriberet Paulus, si ueniet. Per hanc enim Epistolam præparat, quæ ad ipsum excipiendum necessaria

reputat Paulus. Dubitamus etiam, num per Stephanam Fortunatum & Achaicum hæc transmissa sit Epistola. Causa hæc est, quod ipse Paulus [v. 17. 18.] de ipsis dicat, quod iam Corinthi sint & defectui ipsorum Corinthiorum medelam adhibuerint, eoque ipso & Paulum & Corinthios recreauerint. Quod scribere non potuisset, si Ephesi ap. Paulum fuissent.

§. XIII. Paulus Ephesum relinquens, in qua urbe multa ob furentem populum perpeßus fuerat, constituebat per Corinthum abire in Macedoniam, & e Macedonia redux iterum ipsos inuisere, & tunc ad deportandas collectas pecunias Iudæam adire. [2. Corinth. I. v. 16.] Troada ueniens Titum quem ad Corinthios miserat, ut ipsorum statum cognosceret, non inuenit. [2. Corinth. II. v. 12.] Mutat sententiam atque in Macedoniam abit. [vers. 13.] Hic uariis ærumnarum oneribus pressus Pauli animus Titi præsentia erigitur. [2. Corinth. VII. v. 6.] Ex Macedonia secunda uice Titus mittitur Corinthum, ut scilicet ea, quæ ad paupertatem Hierosolymitanorum leuandam essent necessaria, colligeret. [2. Corinth. VIII. v. 16.] Huic duos Comites dat Paulus, per quos mittitur hæc Epistola. Adeoque per tres per Titum & duos Fratres, quos etiam Corinthi incolis commendatos reddit Apostolus. [cap. VIII. vers. 24.] In Macedonia igitur quod scripta sit cur non statuamus causam non uidemus. Philippisne, an alia in urbe consignata sit audacter affirmare nolumus.

§. XIV. Titus igitur iam est Corinthi & exigit collectam pecuniam. Paulus adhuc in Macedonia peragrat urbes proximas. In harum una quæcunque etiam sit, scripsisse uidetur Epistolam ad Titum, in qua de uariis ad Eccle-

2. ad Corinth.

ad Titum.

Eccle
atque
iectur
to ad
unti P
Corin
fuisse
noluer
ad Co
rit, qu
casion
se misi
[scil. C
si con
[Acto
sibi mu
fidelita
tus din
dum si
lus [Ti
puli, q
bus Co
cul dub
rum H
quos co
ad iter
fuisse,
puli, se
auditori

§.
litteris

Eccle-

Ecclesiasticam disciplinam spectantibus Titus admonetur, atque ut Apollinem & Zenam remittat, iubetur. Si coniecturæ locus est, duo isti forte sunt, quos comites Titus adiunxit Corinthum secunda uice ex Macedonia abeunti Paulus. Dicitur quidem, quod Apollo iam fuerit Corinthi [*Act. XIX. v. 1.*] tamen refertur, ipsum posthac fuisse Ephesi. [*1. Corinth. XVI. v. 12.*] Quum igitur tunc noluerit Corinthum adire, sicut citato loco ex Epistola ad Corinth. patet, Paulus uero ipsius aduentum promiserit, quid obstat, si dicimus, hanc fuisse opportunam occasionem? Insuper ipse Paulus dicit [*2. Corinth. VIII. v. 22.*] se misisse fratrem [*σπῆλαιότερον πεποιθήσει πολλῇ τῇ εἰς ὑμᾶς*] [scil. Corinthios]. Hæc anne in Apollinem quadrabunt, si consideramus commendatitias litteras ad Corinthios, [*Act. XVIII. v. 27.*] & conciones, quibus deuinctissimos sibi multos reddidit Corinthi? Hos igitur, quos maxima fidelitate polientes norat, uult, ut maxima cum cura Titus dimittat, ut ne ex altera parte incommodum timendum sit ac si necessaria ipsis defuissent. Addit uero Paulus [*Tit. III. v. 14.*] nouum aliquod mandatum; ut & discipuli, qui Corinthi essent aliquid congererent ad ea, quibus Corinthii suam benignitatem comprobassent. Procul dubio enim per *χρεῖας ἀναγκαίας* respectu scil. Judæorum Hierosolymitanorum illi sumptus intelliguntur ad quos colligendos Titus Corinthum missus erat. Si enim ad iter Zenæ & Apollinis poposcisset sumtus, non requisisset, ut præter illos, quos alii congeffissent, ipsi discipuli, sed ut soli discipuli quid darent, quia Paulus ægre auditoribus suis grauis erat.

§. XV. Hinc non uidemus, quomodo Vir quidam in litteris sacris alias exercitatissimus in historia sacra Aposto-

sto-

stolica scribere possit, Apollinem [i. *Corinth. XVI. v. 12.*] rogatum esse a Paulo, ut Corinthum rediret, qui uero id facere renuisset, & Cretam potius petiisse uideretur, quocum eo profectus fuisset Zena legis Doctor; Paulumque uideri per eos Epistolam ad Titum scripsisse, in qua utrumque Tito commendat, quem simul iuberet ad se uenire Nicopolin, ubi tum animo proposuerat per hyemem agere. Sed mutato consilio accersitum esse Ephesum Titum, unde a Paulo praemissus erat Corinthum, ut Corinthiorum statum rescisceret. Quod autem Baronius scribens putat, eam fuisse scriptam ex Graecia cum paratus esset excurrere in Illyricum, refellitur ex eo, quod modo diximus, Titum a Paulo ex Macedonia praemissum esse Corinthum, ut collectas eorum curaret in aduentum Pauli paratas. Unde liquet, Titum fuisse in Graecia, cum eo ueniret Paulus ad recipiendas collectas illas, non ergo tunc temporis agebat in Creta Insula. Hac ille. Ad commendationem quod attinet, Paulus admonet Titum, ut Zenam & Apollinem προπέμψη σπυδαίως. Si per hos misisset hanc Epistolam, adhortatus potius fuisset, sicut alibi facit, ut illos humaniter exciperet. Iam uero, cum apud ipsum iam essent, ut discessum ipsorum sedulo curaret Paulus urget. Mutato consilio Titum a Paulo Ephesi esse exceptum sufficiente adhuc indiget probatione. Putamus igitur, probabilius esse, si hanc Epistolam scriptam statuamus in quadam Macedoniae urbe aut proxime adiacente urbe in Thracia. Quod etiam conuenire nobis uidetur cum textu historico. [Actor. XXII. vers. 2.] Lucas enim ibi refert ipsum multis concionibus adhortatum esse, quos habebat in illis regionibus, priusquam εἰς τὴν ἑλλάδα abiret, ut tres menses (non ut alii uolunt Corinthi solum) sed permeans ista loca Macedoniae & Graecia

-cia co
-lam sc
-be. O
-nia ur
-feu Ni
urbem
-rari no
polis e
Thrac
nia.
uium
agratur
mothe
stolam
fratres
tores [III. v. 1
re bre
tus, qu
uocare
hoc ig
ptam
Num
de nu
eamus
affirma
quodq
ad Asia
tuatur
rit Pau

cia

cia consumeret. Vulgaris subscriptio vult hanc Epistolam scriptam esse Nicopoli, in quadam Macedonia urbe. Omne tempus, quod elocauimus, ad hanc Macedonia urbem detegendam frustra consumsimus. Neapolin seu Nicopolin prope Philippos antiquæ Mappæ ostendunt urbem. At Thraciæ non Macedonia. Vt adeo satis mirari non possimus, cur Vir Doctissimus L. C. scribat: Neapolis est prope Philippos in Macedonia; Nicopolis est in Thracia ad Nesum fluuium non longe a finibus Macedonia. Illa ipsa Neapolis prope Philippos est ad Nesum fluuium Nicopolis.

§. XVI. Paulus Epheso discedens Macedoniam peragraturus Episcopum Ecclesiæ Ephesinæ constituerat Timotheum [1. *Timoth. I. v. 3.*] Hunc igitur per hanc Epistolam edocet, quid faciendum sit [cap. I.] contra falsos fratres. Et quid peragendum suos admonere debeat auditores [cap. II.] Illud intendisse Paulum ipse significat [cap. III. v. 14.] Quo in uersu insimul promittit se spem alere breui ipsum uidendi. Explicandus igitur est aduentus, qui his in Pauli uerbis indicatur, cum Milerum conuocaret Seniores & Episcopos Ecclesiæ Ephesinæ. Inter hoc igitur spatium hanc ad Timotheum Epistolam scriptam esse citra omne absurditatis periculum statuimus. Num in Græcia, num in Macedonia redux, num Troade num alio in loco illam scripserit nostri non est ut dicamus. Nihil malumus affirmare, quam aliquid incerti affirmare. Dubium mouere posset *uersus 4. Actor. XX.* quodque ibi Timothei fiat mentio, quod Paulum usque ad Asiam comitatus fuerit. Adeoque temere a nobis statuatur, quod tum demum uerbis suis fidem suis adiderit Paulus, cum Mileti ipsum cum reliquis Ecclesiæ Senio-

C

nio-

nioribus alloqueretur. Facilis est difficultas, & quæ præter B. Lutherum & Tremellium etiam eruditissimo Ludouico Capello imposuit. Obseruandum est, inquit, post scriptam hanc Epistolam, antequam Paulus Corintho pedem moueret, ut per Macedoniam Hierosolymam peteret, Timotheum, quacunque tandem de causa id factum fuerit, Epheso relicta ad Paulum uenisse Corinthum. Sufficiens si adderetur probatio forte & illis, quæ Capellus profert, nostrum calculum adderemus. Ut taceremus, quod textui historico non constet ordo. Iuxta Capellum igitur Paulus iam est in Asia, comite Sopatro, & reliquis, & tunc demum *vers. 5.* soluit Philippis. Putamus igitur, quod breuis hic a sacro Historico instituatur enumeratio comitum, qui Paulum Epheso discedentem comitati fuerant, ad melius scilicet contexendam telam historicam & tenebras discutiendas ad quidnam referendum sit τὸ πρὸς αὐτῶς [*vers. 6.*] Cur hoc loco demum inquires? Commodiore loco non potuit. Adeoque *συνείπετο* [*vers. 4.*] & *ἔμεινον* non reddendum per imperfectum, sed est aoristus secundus reddendus per plusquamperfectum. Adeoque sensus huius loci hic est, quod scilicet Sopatrus Berœæ natus, Aristarchus Secundus & Gaius Thessalonicenses, Timotheus etiam Derbæus in Asiam usque ipsum comitati fuerint. Ex Asianis uero Tychicus & Trophimus præeuntes Troade permanserint, ibique dum exinde ob absentiam Titi egressi fuerant, expectauerint Troade. Iam igitur [*vers. 6.*] pergit in historia connectenda cum *vers. 3.* Per Asiam hic intelligit Asiam stricte sic dictam siue minorem; adeoque hoc ἀρχῆς, si referatur ad comites inclusiuè explicandum est, quod scil. illi comites Pauli eousque comitati fuerint Paulum, quo Asia minor, ex qua egrediebatur Paulus, finiebatur; si referatur ad

Lu-

Lucam
per eo
tus pat
referatu
est, qu
uam sig
editioni
uulsa ap

§.
nunc Ph
Tychicu
Troade
alterius
uenia.
dis Prom
latiuo af
hoc dem
uerii acc
inquit sa
tis notis
nem pe
Sed que
bis adue
9ev, quæ
cum, ubi
Nova diff
qui iuxta
cum nau
mus. Ne
nobis con
uem con

Lucam historiam scribentem, explicandum est hoc ἀχῶν
per eo usque quo, si Asiam minorem esset ingressurus, adi-
tus patebat. Nec *uersu* 5. dubitare quis poterit an ἑστῶ
referatur ad Tychicum & Trophimum, cui modo notum
est, quod ἑστῶ non tam relatiuam, quam demonstrati-
uam significationem habeat, & sciat, quod in nonnullis
editionibus uerba hæc: Ἀσιανοὶ δὲ Τυχικὸς καὶ Τρόφιμος di-
uulsa appareant a *uers.* 4. & annexa *uersui* 5.

§. XVII. Paulus iam pecunias collectas accepit &
nunc Philippis soluit, uenit Troada cum Luca & aliis, ubi
Tychicus & Trophimus ipsum excipiunt. [*Actor. XX. v. 6.*]
Troade abit pedibus Assum. Concedent enim clarissimi
alterius sententiæ Patroni, ut hic abeundi ab ipsis detur
uenia. Malumus enim τὴν Ἄσσον per oppidulum ad Troa-
dis Promontorium accipere, quam τὴν Ἄσσον pro appel-
latiuo assumere. Quod Ἄσσον fictum nomen non sit, ex
hoc demonstratur, quia adhuc in mappis illis Philippi Clu-
uerii accuratissimi alias Geographi apparet. Ἀνήχθημεν,
inquit sacer Historicus. Est uerbum græcæ linguæ peri-
tis notissimum, quod de nautis, qui maris altitudi-
nem petunt, dum e portu soluunt, usurpatur.
Sed quomodo hoc uerbum quadrabit ad alteram no-
bis aduersam sententiam? Urgebit etiam eos uox ἐκεί-
θεν, quæ τὴν Ἄσσον respicit tanquam certo constitutum lo-
cum, ubi Apostolum Paulum inuitaturi essent in nauem.
Nova difficultas etiam orietur circa explicationem *uers.* 14.
qui iuxta nostrum sic fluit: cum uero Paulus simul nobis-
cum nauigantibus Assum ueniret, ipsum recipientes ueni-
mus. Notamus etiam, quod uocabulum Ἄσσον, quantum
nobis constet, sit uocabulum Poeticum. Assi igitur na-
uem conscendit Paulus, atque Mitylenem, quæ Lesbi
C 2 urbs

urbs est, abit. (*vers. 14.*) Hinc Chium & Samum, Trogyllium, Promontorium positum contra Samum, habens iuxta se paruam Insulam parem nomine, stadiis quadraginta a Samo & Mileto. (*vers. 15.*) Huc conuocat Episcopos Ecclesiæ, quæ Ephesi Nomen Christi confitebatur, quos peractis precibus osculo dimittens Paulus nauem conscendit, & Coam cum sociis suis uenit. Hinc Rhodum & hinc Pataram. (*Actor. XXI. v. 1.*) Cyprum a sinistra relinquens cursum dirigit in Syriam, & Tyri (*v. 3.*) subsistit septem dies. Hinc Ptolemaida, antea Acce hodie Accon, (*vers. 6.*) tunc Cæsaream Stratonis & hinc Hierosolymam. Hic hospes erat Mnasonis, qui iam erat Solyimis, & non adductus fuit, uti uulgo putatur. Quanta humanitate, quanto gaudio a Iacobo & reliquis excipitur fratribus, tanta est ira indomita, qua ignobile ardescit uulgus. (*Actor. XXI. v. 30.*) Sed qui a Domino Romam missus erat, ut ibi sua doctrina eo ascenderet, quo infra se uideret falsam doctrinam, non sinebat, ut nobili Pauli sanguine manus imprudentis plebis cruentarentur. Salutem aduentu suo adfert Centurio, a quo pro Ægyptio quodam Mago & falso Propheta, qui his temporibus multos seduxerat; urbem occupare, seque principem constituere decreuerat, pulsus fugatusque effugerat, habitus, impetrata quidem uenia causam dicendi ob accensum populum & interitum Paulo minitantem in castra deducitur, ex castris ad Chiliarcham. Ab hoc conuocato Synedrio (*cap. XXIII. v. 1.*) coram quo stetit, mittitur ad illi prouinciæ Præfectum Felicem, quo a Magistratu abeunte a Festo succedente Romam captiuus ducitur. Impeditus igitur Paulus suos Auditores coram admonere; non intermittit tamen captiuus eos litterarum adminicu-

lo

lo reue
firmare
fuerant
phrodi
rum pe
ctum,
Paulus
siæ Eph
ptiuum
lyman
lum fu
captiu
quære
Nunc
quod
Epaph
v. 7.]
Tychi
ses,
per qu
habita
E 9. A
menti
merat
hibita
se illi
Episto
fit Pau
quom
cere p

lo reuocare si errauerant, instituerè si defecerant, confirmare si gressus ipsorum nutarent.

§. XVIII. Comites, qui tum Romam ipsum secuti fuerant, tum qui ipsum Romæ inuisebant, erant Epaphroditus, qui a Philippensibus, posteaquam ad aures ipsorum peruenerat, Paulum Romæ in uincula esse coniectum, ad ipsum missus erat. (*Phil. IV. v. 10. 18.*) Et quem Paulus etiam remisit. (*cap. II. v. 25.*) Timotheus Ecclesiæ Ephesinæ Episcopus etiam Paulum adibat Romæ captiuum. Adibat ipsum, non ut comes ipsum Hierosolymam pergentem comitabatur. Quod Romæ apud Paulum fuerit, testantur inscriptiones Epistolarum a Paulo captiuo scriptarum, una ad Ephesios excepta. Cur hæc quæres. Timotheus fuit Episcopus Ecclesiæ Ephesinæ. Nunc iudica: Beneuole Lector. Ulterius ipse Paulus, quod Timotheus apud ipsum sit, testatur. (*Philipp. II. v. 19.*) Epaphram, qui Colossenses Euangelium docuerat, [*Col. I. v. 7.*] etiam apud Paulum fuisse testatur, *cap. IV. vers. 12.* Tychicum & Onesimum, per quos Epistola ad Colossenses, per quorum primum etiam Epistola ad Ephesios; per quorum secundum Epistola ad Philemonem Colossi habitantem missa est, nominat ad Coloss. (*cap. IV. vers. 7. & 9. Ephes. VI. v. 21.*) Marci, Lucæ, Aristarchi & Demæ fit mentio ad Philemonem. (*v. 22.*) Horum ultimus numeratur inter illos, qui doctrinam diuinam nulla non adhibita opera, propagabant. Hinc facile patet, quod ipsos se illi seducant in auia, qui posteriorem ad Timotheum Epistolam primam faciunt inter illas, quas e uinculis misit Paulus. Non enim sumus tam perspicaces, ut uideamus, quomodo Paulus (*Cap. IV. v. 10. 2. ad Timoth. Epist.*) dicere possit; Demam ob amorem mundanum dereliquisse

2. ad Timoth.

ipsum, & tamen *σύνεργον* uocari posse. Fortasse & hoc obstat quo minus credere queamus, posteriorem ad Timotheum esse priorem Epistolis ad Philemonem, Philippenfes, Colossenses & Ephesios, quod (*cap. IV. v. 12.*) dicatur Tychicum iam Ephesum missum esse; qui tamen Epistolam ad Ephesios & Colossenses, quas posthanc scriptas esse dicunt, transtulit, ut et *vers. 20.* contrarius *Act. XXI. v. 29.* Scripta igitur est posterior ad Timotheum Epistola, cum captius secunda uice Romæ teneretur Paulus, in qua posteriore captiuitate etiam capite truncatus est. Ante secundam hanc captiuitatem Paulus reuississe mihi uidetur Orientem, quod ex *2. Timoth. 10. v. 20.* concludimus, ubi de Trophimo ægrotante Miletu relicto loquitur, cum tamen (*Act. XXI. v. 29.*) ipsum Hierosolymis secum habuerit. Epistolam ad Hebræos scriptam, cur non addiderimus, Beneuole Lector, nondum liquido nobis apparet, num sit Pauli.

§ (o) §

COROL-

Ex
lo
r
if
t
b
Idio
p
d
2
Verb
I.
u
re
Verb

COROLLARIA.

I.

Ex Lucæ XVII. v. 32. apparet, quale peccatum Lothi uxor admiserit. Peccatum scilicet illud non fuisse nudum uultus motum ad retrospiciendum, sed reditum in urbem.

II.

Idiotifinus, quo infinitivus ponitur pro imperativo inseruit explicandis Locis. *Act. I. v. 4. XXIII. vers. 24. Rom. XII. 15.*

III.

Verba *πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον, Act. I. v. 25.* non ad Iudam, sed ad novum eligendum Apostolum referenda sunt.

IV.

Verba: *1. Cor. II. v. 6. τοῖς τελείοις* non red-

reddenda sunt inter adultos , sed
Nominatiuus est τὰ τέλεια siue quod
idem est *ιερά.*

V.
1. *Corinth. VI. v. 2. & 4.* κριτήριον optime
redditur per tribunal siue subfel-
lia iudiciaria , & in ultimo uersu
quarto uerbum καθίζετε refertur ad
κριτήρια , εὰν ἔχητε uero ad sequentia
uerba usque ad τούτους.

S. D. G.



Coll. diss. A. 50, misc. 56. 1